



D. Gerhanli Titij Dogmatica.



51.

Q. D. B. V.  
EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
**MIRACVLIS**

QVAM  
SVB PRÆSIDIO

**GERHARDI TITII**  
SS. THEOL. DOCTORIS EIVSDEM  
QVE IN ILLVSTRI IVLIA P.P.  
ORDINARIÏ

PRÆCEPTORIS, FAVORIS ET PATRONI  
SVIÆTATEM VENERANDI  
PVBLICÆ DISQVISIONI  
SVBIICIET

**JOHANNES FRIDERICVS VVECKENESEN**

Göttingensis

*D. XV APRILIS*

In Juleo Majori



HELMESTADII,

Typis **JACOBI MULLERI**

ANNO MDCCCLV.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, appearing as ghostly impressions of a printed document. The text is largely illegible due to its low contrast and orientation.





## Q. D. B. V.

**N**on parvi momenti est Doctrina de Miraculis, vel ex ea ratione, quod Pontificii Doctores secundum illa de veritate Ecclesiae judicare conantur, et Lutheranos, quos vocant, hinc autumant non habere veram Ecclesiam, quia nulla miracula parent, ut verissime de illis scripserit Erasmus in Diatribe de Libero arbitrio, nullum eorum adhuc extitisse, qui veleguam claudum sanare potuerit, quomodo habet Becanifcomma Manual. lib. 1. cap. 3. §. 68. etsi Erasmo isthic loci de Luthero præcise ejusq; discipulis non sit sermo, quod verba diligenter inspicientibus patebit.

II. Ut vero de tota hac materia eo melius judicari queat, præmittemus brevissime Etymologiam vocis. Homonymiam, tum definitionem et divisionem Miraculorum.

III. Miraculum inde procul dubio nomen accepit, quod mirum sit, vel admirationem hominibus afferre possit. Vid. Matth. cap. IX. 27. IX. 8. Latius tamen patet vox *Miri*, cum multa mira non tantum per artem, verum etiam per naturam efficiantur atq; in admirationem homines rapiant: nulla autem miracula ipsorum facultate fiant. Hæc de Etymologia.

IV. Evolvenda nunc paucis & Homonymia, atque dicimus Miraculi vocabulum vel in laxa & impropria signifi-

gnificatione accipi, pro admirando opere, tam naturæ, quam artis, sicuti passim apud Scriptores, cum primis Plinium memorantur septem mundi miracula, quæ non nisi celeberrimorum peritissimorumq; artificum rara & insignia erant opera; vel in stricta ac propria significatione, videlicet pro eo, quod præterquam alioquin natura et ordo rerum consuetus exigit, eveniens, omnium causarum vim et facultatem naturalem superat.

V. Definimus proinde Miraculum, quod sit actio insolita, à Deo contra vel præter ordinem à se in operibus tam naturæ, quam gratiæ institutum specialiter operante, profecta.

VI. Dicimus miraculum esse actionem insolitam, quo discernatur ab aliis Dei operibus, quæ licet excedant creatæ naturæ potentiam atque vires, tamen propriè ac strictè loquendo Miraculorum nomine non veniunt, quod assidue et secundum ordinem atque legem à Deo institutam fiant. Talia sunt, in operibus naturæ, gubernatio hujus universi, in operibus gratiæ, regeneratio, justificatio peccatoris. *Si tamen hæc alio, quam usitato modo obtingant, diversa est ratio. Sic enim justificatio Pauli miraculosa habetur, quod miraculose de cælo prostratus subita immutatione et vehementi Spiritus Sancti illustratione in Deum conversus, et è persecutore factus sit Apostolus, sicuti rectissime monet Vir immortalis laude dignus B. Dn. D. Calixtus, Concord. Evang. lib. 2. cap. IV. Sane miracula non moverent, nisi mira essent: at mira non essent, si solita essent.*

VII. Porro asserimus, Miracula proficisci à speciali operatione et virtute Dei contra vel præter ordinem à se institutum, ut non tantum distinguantur ab operationibus ejusmodi, quæ admirationem quidem movent, at tamen admirabili quadam sive hominum sive Angelorum solertia fiunt, verum etiam à præstigiis et imposturis dæmonum, quæ sæpenumero miracula esse videntur.

VIII. Denique subjungitur in definitione finis, qui est ostensio

3

stentio potentiaē divinæ. Hic videlicet finis est communis et perpetuus. Alii fines præter illum sunt, vel dictis Dei conciliare fidem, vel autoritatē illis, qui à se peculiariter missi sunt, confirmatum ire. Deuteron. XIII. init.

IX. Sicuti autem tribus modis aliquid contingere potest præter ordinem et potentiam naturæ, ita tripliciter miraculū potest contingere. Primo *secundum ipsam substantiam facti*, ut cum grave non descendit, cum sol vel consistit in cursu, vel retrogreditur. Secundo *ex parte subjecti*, in quod actus introducit, quod secundum se quidem virtute agentis naturalis effici potest, sed nō in tali aut hoc modo se habente subjecto; ut cum vita redditur mortuo, visus restituitur cœco nato, aqua convertitur in vinum. Tertio *ratione modi*, quo actus in subjectum introducit, scilicet quando aliquid per agens naturale, etiam in subjecto hoc modo se habente, non tamen tali ratione agendi, potest produci. Hujus generis miraculum est censendum, quod tempore Elisæ duæ ursæ ex sylva egressæ fuerunt, et discerperunt XLII pueros, qui non tantum in contemptum personæ, sed etiam functionis Propheticæ illuserant Elisæ. Quamvis enim in se non superet naturæ potentiam, pueros discerpi ab ursis, illud tamen habet rationem miraculi, quod tam subito post imprecationem Prophetæ, ursæ istæ binæ tot pueros interfecerint. Similiter supra naturæ potentiam præterque ejus ordinem est, leprosos, paralyticos etc. à Christo sanatos esse absque ullis medicamentis, solo verbo, in momento. Nota: qui actus secundum totam substantiam suam, aut etiam ex parte subjecti supernaturales sunt, etiam ex parte modi non posse alios, quam supernaturales esse.

X. Dispersi solent *Miracula in Immediata*, quæ Deus sola sua virtute absque ullius creaturæ ministerio edidit, veluti dum reduxit umbram decem gradibus in solario Achazi, item cum fecit retrocedere solem 2. Reg. XXI: et *Mediata*, quæ Deus adhibito ministerio Angelorum vel hominum

A 3

effecit,

effecit, ut cum Josua soli et lunæ præcepit, *ut subsisterent tandisper, donec vindicata esset gens Israelitica ab hostibus suis* Jos. X. 12. 13. Sic alia absque precibus Sanctorum facta, alia ipsorum precibus postulata atque impetrata sunt; Quas divisiones copiosius pertractare, institutum nostrum non patitur.

XI. His ita suppositis, facile puto, est, ad unam aut alteram quæstionem respondere. Et quidem primo loco quæri potest, an Diabolis quoque competat potestas patranda miracula? præsertim quoniam Exod. VII. refertur magos ope Diaboli, cum quo pactum inierant, è baculis fecisse dracones. Verum respondeo, Satanam non posse facere miracula proprie sic appellata, utpote quæ virtute supernaturali & divina fieri dictum est. Interim vaferrimus iste spiritus imitari miracula novit, utpote qui rerum naturalium substantias et proprietates habet cognitatas, non modo beneficio subtilissimi intellectus, sed & subsidio diuturnæ experientiæ; et qui præterea præstigiis subtilissime fallere et oculis hominum imponere novit. Factum illud ex l.c. adductum quod concernit, vero similitimum arbitramur cum B. Calixto Commentar. ad h.l., neque phantasiam Aaronis et Mosis fuisse immutatam, neque speciem falsam objectam, neque ex baculis putrefactis fieri dracones à magis quidem potuisse, *sed demones per motum localem vafritie & agilitate sua usos, baculis subito amotis dracones aliunde allatos substituisse.*

XII. Quod si porro interrogas, num & quando licitum sit miracula à Deo petere? ex fine eorundem dico, tum illud concessum esse, quando necessitas *ad bene esse* illud exigit, ut verbo Dei inter infideles astruatur fides et ipsius potentia ostendatur. Huc etiam refer quando Sancti ad extraordinarium ac singulare opus Dei præstandum aut ab eo expectandum confirmatione fidei suæ infirmæ indigent. Videat, qui volet, Judic. VI. 36. 37. 2. Reg. XX. 8. 9. 10. Extra controversiam autem tunc absque peccato licet à Deo postulare miracu-  
racu-

raculum, quando ipse jubet postulare, ut Esaiæ VII 10.11. Equidem cum hodie doctrina Evangelica toto orbe satis, sit confirmata, spiritus Dei ad ea petenda fideles vix movet quod non sint ita, sicut olim erant, necessaria. Quodsi verò etiamnum aliquando, præsertim apud infideles, necessaria fuerint & à Deo serio petantur, non dubitamus, quin impetrari possint. Quodsi non impetrentur, vel precum defectui, vel cessanti necessitati acceptum ferendum fuerit.

XII. Sed dimissis nunc aliis quæstionibus, accedamus nunc ad acropolin hujus tractationis atq; expendamus, num Pontificii veritatem suæ Ecclesiæ recte probent à miraculis, quæ apud sese fieri gloriantur? Atque hic statim affirmare non dubitamus; quod Pontificiorum illa miracula jure maximo de falsitate sint suspecta. Videamus primo an apud ipsos miracula fiant? Certe testes, quos adducunt, ut probent, miracula in suo cœtu fieri, vel insulsi sunt Monachi et sacrificuli, vel si viri docti sint, ingenio ad Papales superstitiones defendendas & quæstum faciendum sunt abusi, ut adeo fides narrantium jure nobis sit suspecta. Alii licet à se forte non conficta, talia tamen narrant miracula, quæ nunquam sibi ipsis visa, sed ab aliis tantum audita, et ab avis avorum sint tradita atque accepta, ubi sane plus foret oculatus testis unus, quam auriti decem. Ne nunc dicam de libris oppido sublestæ fidei, ex quibus quamplurima haurire solent adversarii, quales sunt, Vitæ Sanctorum, Speculum Exemplorum, Legenda aurea &c. fatente hoc ipsomet Melchiore Cano Episcopo Canariensi, viro docto & sic satis candido, lib. XI. Loc. Theol. cap. 6. p. 540, ubi hæc habet: *Nec ego hic libri illius autorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur: nec Historia etiam ejus, quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legas: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi et prudentis.* De miraculis apud Indos Orientales à Francisco Xaverio aliisque patratas ampullas projiciunt Alphons

phonus Salmero, Horatius Turselinus et ejus farinae homines. Verum quid de iis sentiendum sit, eruditissime pro more suo ostendit Summus b. m. Calixtus Append. alt. ad Landg. Hassiæ p. 71. & seqq.

XIV. Præterea ante complura jam secula facti sunt et monuerunt Patres, desisse gratiam miraculorum in Ecclesia, aut certe ad maximam raritatem esse redactam. Primis Ecclesiæ nascentis temporibus miracula necessaria erant, ut infidelibus veritas doctrinæ cœlestis quadam copiosiore vi movendi, in oculos mentis ingereretur: ubi vero semel constituta est Ecclesia & Scripturis sua constitit in Ecclesia Dei autoritas, non plane quidem miracula fieri desierunt, fieri tamen ita, ut initio fiebant, et tam communiter fieri desierunt. *Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cum arbusta plantamus, tandiu eis aquam infundimus, quousque in terra coaluisse videamus, et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit,* quo similiter utitur Gregor. Magnus Homil. XXIX. ad verba Servatoris apud Marcum XVI. 18. Adduceremus hic Patrum dicta, nisi Clarissimi Viri, Casaubonus et B. Calixtus hoc labore nos levassent; Ille Exerc. XVI. num. 152: hic Append. Alt. ad Landg. Hassiæ.

XV. Faciamus autem ita esse, atque vigere apud Papistas, quæ circumferunt, miracula: nonne tamen tutius foret ad prædicationem Verbi et Sacramentorum administrationem, quam ad miracula respicere? Inducunt miracula, inclinant et animos percellunt, non nego, sed ipsam doctrinam esse oportet, quæ multo efficacius, multo validius idem præstet, & ubi non fuerit sinceritas doctrinæ, quam, qui divinæ voluntatis indicem scripturam sacram consulere volet, ignorare non potest, miracula, quæ in speciem magnifica apparent, recte contemnuntur. Etenim unde rectius æstimare possum veritatem doctrinæ Christianæ, quam si illa conveniat cum doctrina Christi et sanctorum Dei hominum? Verbi prædi-

9  
prædicatio est primarium medium, per quod Ecclesia congregatur et conservatur, adeoque est etiam nota propria, infallibilis et inseparabilis veræ Ecclesiæ. Ex quo videlicet colligo, aliquem esse fidelem et verum Christianum, ex eo quoque licet mihi perspicere, aliquem cœtum constituere veram visibilem Ecclesiam. Jam sincera in iis, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt capitibus, doctrina indicat hominem in quo eã deprehendo esse fidelẽ et verũ Christianum, proinde ex eodem signo de vera Ecclesia fieri iudicium debet, ne utiquam ex miraculis. Nam *multi dicent Christo die illo; Domine, Domine, nonne per nomen tuum Prophetavimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, et per nomen tuum multas virtutes edidimus?* Servator vero profitebitur eis, *Certe nunquam novi vos: discedite à me, qui operam datis transgressioni legis.* Si Rempubl. Solonis aut Lycurgi quærere velim, non potero eam certiori indicio deprehendere, quam si attendam ad leges Reip. an sint illæ ipsæ, quas Solon tulit aut Lycurgus: ita Remp. Christi h. e. veram Ecclesiam ibi esse rectissime cognosco, ubi servantur leges Christi, nempe ubi secundum verbum Domini docentur articuli fidei, et nisi quid impediatur, administrantur Sacramenta. Itaque quod Abrahamus in Parabolo. Historia (ita eam Vir magni nominis G. I. Vossius appellat *Theol. Theol. Disp. V. de Statu animæ separatae §. 1.*) dixit diviti helluoni: *Habent Mosen et Prophetas: audiant eos* Luc. XVI. 29., hoc omnes Christiani sibi dictum esse existiment, sciantque majorem esse vim atque efficaciam persuadendi in Scriptura, quam in miraculis. Conf. Joh. V. 39. i. Theol. II. 8.

XVI. Porro quoniam opera per artes et præstigias Diabolics patrata, quoad externam apparentiam paria sunt cum divinis, nec ad inspiciendum intimum et proximum agendi modum satis penetrare potest intellectus, humanus Imo ipsa substantia facti non satis certo ac tuto sensibus nostris semper cognosci potest, inde fit, ut ex meris et nudis miraculis veritas vel doctrinæ vel Ecclesiæ evinci ex demonstrari solide vix possit. Resuscitatio mortuorum inter opera miraculosa primas facile obtinet. Verum si Deus permiserit

miserit, quid obstat, quominus dæmon vivi hominis sensus ita obtundere et spiraculorum vias obstruere queat, ut omnibus intuentibus mortuus appareat, demptis autem impedimentis quasi vivus profiliat? Prædixit gentium Doctor 2. Theff. II. 9. *adventum Antichristi fore ex vi efficaci Satane, cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus.* S. Paulus cum scribit Galatis c. 1. 8. *Si nos, aut Angelus è cælo Evangelizet vobis præter id, quod vobis Evangelizavimus, anathema esto,* dubium nullum est, quin simul innuat et involvat, Angelo è cælo diversum Evangelium annuncianti ne credendum quidem esse, etiamsi prædicationi suæ signa et prodigia, veluti facile posset, junxerit. Quin & ipse Christus prædixit excitatum iri pseudochristos et Pseudopphetas, & edituros signa magna ac miracula: *ita ut seducant, si fieri possit, etiam electos* Matth. XXIV. 24. conf. Deut. XIII. 1. 2 3. Historia etiam Ecclesiastica suppeditat hic luculenta exempla. *Pontius fecit miraculum* ait Augustinus tract. 13. in Johannem, *et Donatus oravit, et respondit ei Dominus de cælo.* Scribit Socrates, quod, cum ad Paulum Episcopum Novatianum venisset quidam Judæus impostor, ut ab eo baptizaretur, et apud se baptismum irrideret, continuo tota sacri fontis aqua evanuerit. Quod exemplum cum Centuriatores attulissent, respondet Bellarminus de Notis Ecclesiæ lib. IV. cap. XIV. in fine, *non fuisse hoc miraculum Novatiani erroris, sed veri baptismi.* Sic ergo constat, etiam ab hæreticis, et in hæreticorum coetibus, miracula esse patrata. Quod si Bellarmino dicere licuit, miraculum à Paulo Novatiano patratum, non fuisse miraculum Novatiani erroris, sed veri Baptismi, quis prohibebit nos simili modo dicere, si quæ miracula apud Pontificios fiant, ea non fieri in confirmationem illorum dogmatum, quæ à nobis diversa docent, et à nobis falsitatis postulatur, sed in confirmationem eorum dogmatum, quæ Scripturæ sacræ conformia adhuc retinent, & cum omni veteri Ecclesia habent communia.

XVI. Denique haud contemnendum contra Papistas argumentum esse ducimus, quod illi ipsi, qui miracula tam glorio-

libr. VII.  
cap. 17.

gloriose crepant, talia memorent permulta, quæ ob exile commodum, citra necessitatem facta fuerint. Nemo nescit, quam operosus fuerit Valerianus Magnus Capucinus in miraculis suorum cum primis sociorum, extollendis. Quorum unus mulum alto præcipitio quassatum & mortuum, ad vitam revocavit cum his verbis compellans: Euge purum ac innocens animal, quid hic jaces? Surge & perge ad solita opera. Alius fabro poscente pecuniam pro solea asino impacta, ad asinum conversus dixit: Asine frater, Homo hic nititur extorquere pretium, quod non habemus. Tu ergo ne tecum desideamus captivi, redde acceptam soleam. His auditis asinus excussit soleam. Alius ex diversa tamen societate *mirabiliarius*, cum in quodam templo ob muscarum multitudinem impediretur, eas excommunicavit, quæ omnes altera die mortuæ sunt. Ecce pulcherrima, utilissima & summe necessaria Capucinorum aliorumque miracula! De quibus iterum nostra faciemus B. Calixti verba lectu dignissima ex Append. Alt. ad Landg. Hassiæ p. 77. *Inter medios, Christianos, atque adeo nulla urgente necessitate, (nisi forsitan necessitas sit, quod illi cupiunt in admiratione esse et viri sancti haberi) & nulli Christiano dogmati confirmando, mulos, asinos & boves mortuos in vitam revocant, imo pullo gallinaceo animam restitunt. Mihi autem certum est, Deum miracula non operari, nisi ob causas maximas et gravissimas, ut cum agitur de fide ethnicis & infidelibus persuadenda: quin illa ita comparata esse, ut insignæ aliquod hominibus emolumentum afferant. Probo enim verba Tostati in 2. Paralip. ad cap. VI quæst. IV. Deus non facit miracula frustra, sed ad aliquem finem, qui nimis expediens est: & Maldonati in Matth. XV. 32. Semper observamus Christum nunquam sine magna compertaque necessitate miracula fecisse. In Historia Evangelica legitur Servator tres mortuos suscitasse, sed non nisi cum quodam apparatu, & interventu precatationis vel actionis in primis serie.*

XXIIX. Sed fortassis fuerit operæ pretiū præcipuum, audire quomodo Cardinalis Bellarminus pro Miraculis pugnet. Ille scilicet Tom. II. lib. IV. cap. 14. inter Ecclesiæ notas nu-

De Not.  
Eccles.

merat *Miraculorum gloriam, atque ut fine suo potiatur, duo sibi sumit probanda: Vnum, quod miracula sint necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam: alterum, quod sint efficacia & sufficientia; ex priore promittit se deducturum, non esse apud adversarios veram Ecclesiam: ex posteriore, eam esse apud suos.*

XIX. Verum enim vero, quod prius attinet, cum B. Luthero cæterisque superioris seculi Reformatoribus non fuerit propositum, *novam fidem vel extraordinariam missionem persuadere*, improbe faciunt, dum miracula ab ipsis et nobis postulant Pontificii: Non enim recens aliquod Evangelium cudimus, sed illud ipsum retinemus, cuius veritati confirmandæ serviunt omnia, quæ unquam & Christus & Apostoli miracula ediderunt. Non sarcinata, sed integra est vestis Christi, id est, doctrina Christiana, demptis tantum traditionum humanarum laceris centonibus, ipsi in Papatu affutis. Impudentes sunt calumniæ, dum nonnulli Pontificiorum, B. Lutherum novum Evangelistam ausi sunt appellare, ipsumque novam sarcinare religionem sunt mentiti. Quapropter laterem lavat modo dictus Cardinalis, quando l. c. adversus Protestantes disputat. Impugnet eos, qui *novam fidem vel extraordinariam missionem* persuadere cogitant. Remittimus Lectorem ad Saxoniam Evangelicam Henr. Hopffneri Sect. 1. Part. 2. cap. 2. & Frid. Winikeri τῶ ὀ ἀγίοις Hypoty posin Sect. 3. p. 634. & seqq. Ex abundantiam tamen addimus, eos, qui extraordinarie à Deo mittuntur, non necessario miracula patrare debere, siquidem Veterum Prophetarum aliqui, quos extra ordinem missos fuisse nemo inficiabitur, nullis signis fuere clari, nec eo nomine in divino codice celebrati. Sane Johannes Baptista *nullum signum edidit* Joh. X. 41. Quod quidem strenuus ille Pontificiæ Ecclesiæ defensor eludere conatur l. c., dum contendit, *facta tamen esse in Johannes multa & magna miracula, quam Johannes ipse non fecerit miracula.* Verum probandum antea fuerit Bellamino, sufficere ut fiant miracula *in eo*, qui extraordinarie missus esse dicitur, quamvis ipse talia non patra-

patraverit. Deinde dubiū habet, an illa omnia, quæ de eo enar-  
 rat Cardinalis, sint vera & proprie dicta miracula? Certe  
 quod Johannes in deserto vixit, pro miraculo neutiquam  
 haberi potest. Quid? quod illa quæ circa Johannem nas-  
 centem sunt facta, tantum in vicinia illa fuerint nota Luc.  
 i. 65. ac facta fuerint antequam Johannes munus docendi,  
 aggredereetur. De Vocatione primorum Reformatorum  
 agere, vetat institutum & brevitatis studium; Hoc tamen non  
 possumus non monere obiter, quod jure naturæ & vi rege-  
 nationis cuilibet, etiam maxime privato, liceat pravam a-  
 liorum doctrinam atque vitam pro facultate & mensura no-  
 titiæ suæ impugnare, uti haud ita pridem probatum dedit  
 πολυμαθῆσατος noster Dn. Conringius in suis contra Walen-  
 burgios Animadversionibus. Deinde dicimus, fuisse Luthe-  
 rum ordinariè vocatum in Presbyterum Ecclesiæ & in Uni-  
 versitatis Doctorem, et hoc ipso accepisse potestatem docen-  
 di Verbum Dei & contradicentes redarguendi. Imo non du-  
 bitamus asserere, eum etiam præ aliis Ministris ordinariè vo-  
 catis eximia & certo modo extraordinaria dona habuisse: de  
 quibus iterum videatur Henr. Höpffneri Saxonia Evangelica  
 Sect. 1. part. 2. cap. 6.

XX. Alterum suum assertum Cardinalis hoc modo tentat  
 demonstrare: *Vera miracula non possunt fieri nisi Dei virtute;*  
*dicitur enim Miraculum, quod superat vires omnium creatura-*  
*ri, & ideo omnibus creaturis est mirabile, & propterea etiam in*  
*Scripturis dicuntur testimonia Dei: quare quod miraculo confir-*  
*matur, verum sit necesse est.* & Ostendendum erat, Miracula  
 esse & efficacia & sufficientia ad probandam Ecclesiæ verita-  
 tem, quod num ex adducto manifestum fiat argumento,  
 nondum equidem intelligo. Quidni vero Scriptura sit efficax  
 & sufficiens ad probandam Ecclesiæ veritatem? Unde liquet,  
 apud Pontificios vera illa miracula patrari, et quidem (note-  
 tur hoc etiam atque etiam) in confirmationem Illorum, quæ  
 ipsi à nostris diversa propugnant, dogmatum? Sane quæ supe-  
 rius allata sunt, jure merito, nisi fallor, movent nos, ut ea de

B 3

re am-



re ambigamus. Accedit, quod ante approbationem Ecclesie (Pontificie, aut potius ipsius Pontificis) non constet certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionem demonis. Demon enim etsi non potest facere vera miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quaque, uti ipsemet adversarius loc. cit. ingenue fatetur. Examinemus tantum miracula Pontificiorum secundum Regulam Augustini, qua ille sine discernenda esse miracula tradit l. X. de C. D. cap. 16. &prehendemus longe secus rem se habere, quam illi jactitant.

XXI. Superest ut videamus quinque illa indicia, quibus discrimen inter vera & falsa miracula innotescere posse, Pontificii nonnulli autumant. Illa sunt I. Dignitas virtutis efficientis: II. Qualitas eorum, qui faciunt. III. Diversitas factorum si scilicet expendatur, num illa sint vera & utilia, an vero phantastica & noxia. IV. Modus faciendi si quis v. g. attendat, quibus ceremoniis patrentur miracula V. Finis, cujus gratia fiunt. Dicimus autem statim ad (1), quomodo apparere potest, hoc vel illud factum esse virtute Dei, nec naturali aut subtili arte demonum? Hic certam & omni metu oppositi vacantem cognoscendi ac dijudicandi rationem proponant ac commonstrent Pontificii. Ad (2) Negari non potest, etiam vera miracula a malis hominibus posse fieri. Clarus hanc in rem est locus Matth. VII. 22, superius productus: neque nescimus hanc esse Satanæ artem, *transfigurare se in Angelum lucis* 2. Cor. XI 14. Ad (3) Nemo, opinor, dixerit omnia Magorum opera esse phantastica, perniciofa & inutilia: quædam eorum sunt vera & utilia, veluti cum ægrotos sanitati restituunt; quin & vera miracula nonnunquam hominibus perniciem afferunt, quod in plagis Aegyptiacis videre licet, ac passim in sacro codice. Quomodo ergo è tali diversitate factorum vera & apparentia miracula discernentur? Ad (4) Hic vero recurrit potissima difficultas; unde videlicet nobis evidenter manifestum est, hæc vel illa miranda opera non per causas naturales, aut ope demonum fieri? Quod attinet figuras atque ceremonias superstitiosas, quas venefici adhibent, nec ex illis satis tuto discerni

cerni poterunt falsa miracula à veris, cum & in indubitato veris miraculis quandoque ceremoniæ fuerint usurpatæ, quæ in hominum oculis poterant superstiosæ & nihil prorsus ad effectum producendum pertinentes videri. v. Joh. IX. 6. II. 14. Marc. VII. 33. 34. Tandem (s) Cum finis miraculorum persæpe sit occultus, in illo casu, ubi ex miraculis de veritate doctrinæ judicari debet, sciri nequit, utrum veritatis confirmandæ, an falsitatis persuadendæ gratia miracula edantur. Qui hoc ipso anno libellum *de vera Ecclesia* edidit Erardus Fullonius Jesuita, Sect. IV. §. XIIII. criteria verorum miraculorum ita breviter (postquam prolixius de iis egisset) tandem est complexus: *Ubi in idem prodigium & finis bonus, & sanctus administrer, et forma religiosa, & materia viribus natura superior convenere, de miraculi veritate ne ipsa quidem infidelitas possit ambigere.* Sed an aliquis serio, an simulato tantum animo bonum finem intendat (quæ prior demum est recta Deoque placens boni finis intentio) nobis neutiquam potest esse certum. Quidni etiam impostor aliquando possit aliquid bonæ exterioris intentione facere? v. c. homines exteriore opere à vitiis avocare, ad virtutes deducere? tantum ut fidem primum aliquam apud eos inveniat, & quas porro animo dolofo concepit molitiones, cum tempore eo tutius possit in rem transferre. Æque ut intentio exterior sese exerens, ita *forma agendi exterioris religiosa*, potest tamen esse hypocritica. Nec aliud iudicium de Sanctitate ministri. Quid sanctius, exteriore quidem specie erat Magdalena Crucia *mirabiliaria* illa Hispanica superioris seculi? Et tamen post tot, quibus falsis miraculis inclaruerat annos, cum Diabolo rem habuisse comperitum est. Una *materia viribus natura superior*, si de ea patrata aperte, certo & indubitanter constiterit, jubere possit aliquem credere, re ejusmodi insolitam à suprema causarum esse profectam. Qualis tamen si apud Pontificios sese offerat, nondum tamen illorum, quæ ipsi à nobis diversa propugnant, dogmatum veritatem ostendere eam posse, indicatum jam nobis est sub finem §. XIII.

XXII. Unicum adhuc, quod sententiæ nostræ non parum obstare videri queat, removebimus, scilicet quod ipse Servator subinde ad sua miracula provocavit, atque ex iis Divinitatem suam & doctrinæ suæ veritatem ostendit. Verum existimamus illud ex superabun-

danti

danti ab ipso esse factum, cum constet eum partim ex sacris literis dogmata sua probasse, omnibus autem vim interius in animis audientium operantem, qua illis fidem sufficienter faceret, addidisse, *locutum, ut nunquam ita alius homo sit locutus* Joh. VII. 46. Fidem autem Dominus exegit propter patrata miracula, non quod miracula veritatis doctrinæ nota omnium clarissima, & argumentum omnium efficacissimum essent, sed quod valde quoque; luculentum veritatis suæ doctrinæ essent indicium. Faciebat enim Servator talia opera, qualia Messia facturum esse Es. XXXV 5. 6. erat prædictum & faciebat illa ante oculos interque manus infensissimorum hostium suorum, quod Pontificii non sustinent facere. At, inquires, absque miraculis noluit sibi credi Servator. imo absque his foret, τὴν ἀπίσταν ipsemet excusavit, uti cum primis patet ex Joh. XV. 24. ubi ait: *Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent.* Sed hic quidem locus id non evincit, cum sensus sit Judæos non tantum habituros peccatum, si absque miraculis fuisset quantum nunc habeant, cum veritatem tot modis confirmatam contumaciter repudient; sicut hunc locum jam olim exposuit Joh. Gerhardus Loc. Comm. de Ecclesia §. 280, De ipso autem illo loquendi modo videatur Glasii Gram. Sacr. de Adverbio Canon. 22. Si regeras, ob fidem miraculis adhibendam, si non omnem, saltem potiozem Evangelicæ Historiæ partem esse conscriptam, juxta illud: *Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum illum Filium Dei* &c. Joh. XX. 31. Respondeo, illa verba non necessum esse restringi tantum ad signa à Christo edita, verum extendi quoque posse ad totam de Christi doctrinâ ac vitâ Historiam: & si ad *Signa* restringere placeat verba Johannis, nondum tamen ex iis sequitur propter hæc credenda Evangelium Johannis potissimum esse conscriptum, sed id tantum, etiam propter ista, aut propter certa potius quædam, ex iis selecta, ab hominibus deinceps in testimonium Divinitatis Christi credenda Evangelium Johannis esse conscriptum. Nos hic promissi memores, pedem figimus atque hanc Disquisitionunculam verbis Eucherii Lugdunensis obfirmamus: *Nobis signa & miracula nunc necessaria non sunt, quibus ea, quæ facta sunt, solummodo legere & audire sufficit. Credimus enim Evangelio, credimus & Scripturis ista narrantibus.*

Tantum est hac vice!

S. D. G.



99 A 6986

ULB Halle 3  
002 826 542



R


Sh

VJ 17

Rehov







B.I.G.

Farbkarte #13

B. V.  
THEOLOGICA  
CVLIS  
M  
SIDIO  
DI TITII  
ORIS EIVSDEM  
RI JULIA P.P.  
ARII  
ORIS ET PATRONI  
ENERANDI  
QVIVISIONI  
ET  
VS VVECKENESEN  
nfs  
RILIS  
Majori  
ADII,  
MULLERI  
LAV.